



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 151. Intra quod tempus conferri & occupari debeat Beneficium  
resignatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

Q. 151. Intra quod tempus conferri C. occur. 1030  
pari debeat beneficium resignatum. R.

§. I. Paris. Garc. Chok. putant illos, in quorum  
mamibus resignata sunt vel permutata beneficia, te-  
nere ea iterum conferre intra mensem, alioquin de-  
volvi immediatè ad Papam, propter dictam Con-  
stit. Greg. XIII., sed Barb. de jure Eccl. l. 3. c. 15. n.  
113. & Nicol. t. I. d. II. §. II. contradicunt, dicentes  
tantum præcipi, ut negotium admittendæ vel reji-  
ciendæ resignationis intra mensem absolvatur, pro-  
visio autem ipsa relinquitur facienda juxta Canonica-  
cas sanctiones, nempe secundum Cap. Nulla, De  
conces. præb., intra 6. menses à die acceptatæ resi-  
gnationis; quod inde colligitur, nam juxta Trid.  
Ses. 24. c. 18. de Ref., debet de parochialibus etiam  
resignatis indici concursus, & per Constitutionem  
Pii V. datur fermaestre ad illarum collationem, ergo  
cum Pius V. non deroget nec mentionem faciat  
Constit. Gregorianæ, signum est per hanc non re-  
stringi collationem ad unicum mensem; hinc do-  
cent cum Selv. Coras. Senis, Az. p. 2. l. 7. c. 30. q. 2.  
Chok. de permut. p. 3. c. 17. Garc. p. 10. c. 4. n. 2. cer-  
tum tempus statutum non esse à jure, intra quod  
etiam beneficia permutata conferri debeant. Vide  
Lehr. p. 3. q. 398. & dicenda n. 1108.

§. II. Si quis apud Papam resignet in favorem 1031  
alicujus, optetque ex justis causis adhuc per aliquod  
tempus retinere possessionem beneficii, notant ali-  
qui hanc esse praxim, ut curet resignationem subfi-  
gnari & registrari, tum elapsis 20. diebus exspectet  
ad sex menses nec curet expediri bullas, postmodum  
petat prorogationem aut novum datum: evoluto  
hoc tempore expediantur literæ, quæ intra alpes de-  
teneri possunt ad 6., ultra alpes ad 9. menses, intra  
quos si possessionem non capiat, obtinetur proroga-

tio ad alios 9. menses, postmodum ad alios duos, denique ad alios septem; nec ultra hos duos annos datur prorogatio.

1032 Q. 152. *Quid notandum sit circa resignationem per procuratorem.* R. Seqq.

§. I. Potest resignation fieri per procuratorem, quia qui potest aliquid per se, etiam potest per aliud, nisi lege prohibetur, l. *Labeo ff. de procurat.* nulla autem lex prohibet sic fieri, nisi quis sit praesens intra muros vel suburbia Romana, tum enim per Reg. 24. *Cancell.* debet per seipsum praestare magnum consensum. Vide *Leur.* p. 3. q. 672.

1033 §. II. *Bellam. Paris. Az. Castrop.* apud *Leur.* q. 673. dicunt procuratorem non posse simul & semel constitui ad beneficium idem accipiendum & dimitendum, quia quamdiu principalis non habet beneficium, voluntas & mandatum dimitendi est nullum & de subjecto non supponente: sed non video, cur mandatum dari non possit pro tempore futuro, quo habebit beneficium: hoc tamen videtur inordinatum, si velit statim dimittere beneficium, secundum dicta à n. 859.

1034 §. III. Laicus potest esse procurator ad resignandum, uti & ad acceptandum beneficium, quia nomine alieno agit tanquam purus Minister mandati, *Paris. Laym. Leur.* q. 674. Potest etiam esse Religiosus, si Superior consentiat & sit in utilitatem conventis, *Zabarel. Az. Castrop. Leur.* q. 675. contra *Vital. & Paris.* Possuntque plures constitui, vel in solidum, ita ut singuli seorsim possint consentire, vel tantum in simul, quo casu sufficeret unum consentire post alterum, *Paris. Az. Leur.* q. 677. Posset etiam non tantum in permutatione unus utriusque permutantis esse procurator, uti dicitur n. 1089., sed etiam in resignatione unus idemque